

Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. Quid a me quaerunt audire, qui sim, qui nolunt a te audire, qui sint? Et unde sciant, cum a me ipso de me ipso audiunt, an verum dicam, quandoquidem nemo scit hominum, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Si autem a te audiant de se ipsis, non poterunt dicere: mentitur Dominus. Quid est enim a te audire de se, nisi cognoscere se? Quis porro cognoscit, et dicit: falsum est, nisi ipse mentiatur? Sed quia charitas omnia credit, inter eos utique, quos connexos sibimet unum facit, ego quoque, Domine, etiam sic tibi confiteor, ut audiant homines, quibus demonstrare non possum, an vera confitear, sed credunt mihi, quorum mihi aures charitas aperit. Verum tamen tu, medice meus intime, quo fructu ista faciam, eliqua mihi. Nam confessiones praeteritorum malorum meorum, quae remisisti et texisti, ut beares me in te, mutans animam meam fide, et sacramento tuo, cum leguntur et audiuntur, et excitant cor, ne dormiat in desperatione, et dicat: non possum; sed evigilet in amore misericordiae tuae, et dulcedine gratiae tuae, qua potens est omnis infirmus, qui sibi per ipsam fit conscius infirmitatis suae. Et delectat bonos audire praeterita mala eorum, qui jam carent eis, nec ideo delectat, quia mala sunt, sed quia fuerunt, et non sunt. Quo itaque fructu, Domine Deus meus, cui quotidie confitetur conscientia mea, spe misericordiae tuae securior, quam innocentia sua, quo fructu, quaeso, etiam hominibus coram te confiteor per has literas, adhuc quis ego sim, non quis fuerim? Nam illum fructum vidi, et commemoravi. Sed quis adhuc sim, ecce in ipso tempore confessionum mearum, et multi hoc nosse cupiunt, qui me noverunt, et non me noverunt, qui ex me, vel de me aliquid audierunt. Sed auris eorum non est ad cor meum, ubi ego sum, quicumque sum. Volunt ergo audire confitentem me, quid ipse intus sim, quo nec oculum,